



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Visio, & dictum Abbatis Georgij inclusi. Capvt L.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Visio, & dictum Abbatis Georgij inclusi,

CAPVT L.

CYTHROPOLIS secunda est Palæstinae metropolis. In ea conuenimus Abbatem Anastasium, narrauitq; nobis de Abbate Georgio incluso, dicens: Cum quadam nocte surrexissem, ut pulsarem signum (ea quippe cura mihi iniuncta fuerat, ut excitarem fratres ad collectam) audiui plorantem senem. Profectusq; ad illum rogare cepi, dicens: Quid habes, pater, quia sic ploras. Ille vero nihil mihi respondit. Rursus cum rogarem illum, ut causam fletus mihi aperiret, ingemiscens ille, & ex intimo corde suspirans, ait: Quomodo mihi a fletu temperem, cum Dominus noxte Christus reconciliari nobis nolit. Ego enim, fili, videbar mihi assidere cuidam super excelso throno resideti. Multa vero millia circa illum erant orantium illū, atq; deprecantium de quadam re. Qui illorum precibus flexus non est. Posthæc accubuit ad illum mulier quædam purpura induta prociditq; illi, & ait: Vel propter me placare, fili. Ille vero nihilominus inexorabilis mansit. Atq; idcirco ploro, & ciulo, verens quod futurum est. Hæc mihi dixit Abbas Georgius, quinta illucescente feria cœnæ Domini; sequenti vero, id est pasche, hora diei nona repente magnoque terræmotu, corruerunt vrbes maritimæ Phœnicis.

De Abbate Anastasio hoc item nobis de fenestra eodem enarrauit, quod post aliquantulum temporis, cum ad fenestram staret, plorare senex coepit, & dixerit illi: Væ nobis frater, quia nullam habemus compunctionem, sed in negligentia viuimus, cum ira Dei comprehendat nos,

& in trutinis simus, vt iudicemur. Et sequenti die ignis apparuit in caelo.

- 1 *Vides consuetudinem horarum nocturnarū apud Nachos antiquissimam.*
- 2 *Ecce quomodo Sancti, & beata Virgo orant pro nobis.*

Vita Iuliani senis monasterij Aegyptiorum.

C A P V T L I.

A Nazabus metropolis est secundae Ciliciae prouinciae. Ab hac ferè duodecim millibus distat monasterium, quod dicitur Aegyptiorum. Narrauerunt ergo nobis Patres eiusdem loci, quod illic ante annos quinque mortuus esset senex, Iulianus nomine, qui circiter annos LXX in quodam breui i speleo moratus esset, nihil omnino seculi istius possidens præter cilicium, & flagum, & vasculum ligneum, & librum.

Dicebant autem nobis & hoc de ipso, quod toto vitae suae tempore non accendit lucernae lumen, sed per noctes & caelitus illustrabat eum lux, ita vt clare legere posset.

- 1 *Videntur antiqui monachi viderentur cella perpetua & altissime paupertatis essent diligentes obseruatores.*
- 2 *Si monachismus Deo non placeret, nequaquam nõ caelitus illustratus esset sanctus pater.*

Dictum Abbatis Eliae solitarij.

C A P V T L I I.

Venit frater quidam ad Abbatem Eliam solitariū in cœnobium antiqui patris Solae & dixit ei: Dic mihi verbumpater. Scitauit verò dixit fratri: Diebus patrum nostrorum